CAUSA
HONORII PAPAE

SCRIPSIT

CAROLUS JOSEPHUS DE HEFELE

Episcopus Rottenburgensis

NEAPOLI

Typis Fratrum de Angelis

in Via Pellegrini 4.

MDCCCLXX.

CAUSA HONORII PAPAE

CAUSA

HONORII PAPAE

SCRIPSIT

CAROLUS JOSEPHUS DE HEFELE

Episcopus Rottenburgensis

NEAPOLI

Typis Fratrum de Angelis

in Via Pellegrini 4.

MDCCCLXX.

CAUSA HONORII PAPAE

Sectio prima

Non ea res agitur, utrum Honorius Papa in intimo corde suo heterodoxe senserit, nec ne; sed prima quaestio omnino haec est:

I. num Honorius aliquid ex cathedra tanquam dogma fidei praescripserit, quod tamen reapse haereticum fuit?

Huic secunda quaestio accedit:

II. num Concilium quoddam oecumenicum jus sibi vindicaverit, *sententiam ferendi* de Pontifice sic decernente, *eumque ceu haereticum condemnaverit?*

Tertio tandem quaeritur:

III. quo sensu haec condemnatio a coaevis praesertim a Romanis Pontificibus recepta et dijudicata fuit?

Ad I.

1. Quinto aerae christianae saeculo Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus *duas in Christo naturas* (naturam divinam et humanam) asserens eo usque progressus est, ut *unitatem personae* destrueret. Quam Nestorii haeresin Concilium oecumenicum III Ephesi a. 431. celebratum proscripsit.

2. In errorem huic plane oppositum incurrit paucis post annis Eutyches, Archimandrita Constantinopolitanus, affirmans: Christum quidem *ex duabus naturis* constare, quae tamen per unitionem adeo intime copulatae sint, ut *unam* tantum naturam efficerent; ita quidem, ut Christus sit *ex duabus naturis* (compositus), non vero *in* duabus naturis consistat (Monophysitismus). Quem errorem IV Concilium oecum. Chalcedonense a. 451. rejecit.

3. Uterque iste error, licet profligatus, non tamen continuo evanuit; quin potius Monophysitismus plurimos numerabat in imperio graeco–romano asseclas; cumque per istas lites religiosas ipsius imperii vires labefactarentur, pacis unitatisque restitutio imperatoribus vel maxime cordi erat.

4. Quo desiderio ductus — licet infeliciter rem aggressus — imperator Heraclius circa a. 627, unitis consiliis cum Sergio, Patriarcha Constantinopolitano et episcopis Cyro, Theodoro aliisque proposuit, ut abhinc tanquam vera doctrina traderetur; « in Christo duas quidem esse naturas, sed unam tantum voluntatem, unamque operationem seu energiam ». Quod experimentum restituendae concordiae Monotheletismus vocatur.

Hac formula Monophysitas cum Ecclesia reconciliatum iri sperabant; duplicem enim in Christo na-

turam asserendo genuinae Ecclesiae doctrinae satisfecisse sibi videbantur, unitatem autem voluntatis et energiae affirmando Monophysitas placari posse autumabant.

5. Characterem propositae hujus unionis formulae pauci ex theologis perspexerunt; alioquin vix eos latere potuisset, ipsam prono alveo ad Monophysitismum reducere.

Voluntas nimirum ad naturam pertinet, non ad personam; sic v. g. in SS. Trinitate tres distinguuntur personae, una vero natura seu substantia, et ideo in Trinitate non tres voluntates, sed una tantum dignoscitur. Cum jam in Christo duas naturas vere distinctas profitemur, consequenter etiam duas in ipso voluntates accipere tenemur. Et quod de voluntate, etiam valet de operatione, operationis modo, seu de energia.

Christus manducavit, dormivit, bibit; in hoc cernimus unam, humanam operationem; idem vero Christus etiam mortuos resuscitavit, aegros miraculose sanavit etc. — et in hoc alteram videmus ejus operationem seu energiam.

6. Unus auctorum Monotheletismi, Cyrus Archiepiscopus Alexandriae, (antea Phasidis in Colchide) circa a. 633. unionem restituit cum nonnullis Monophysitis Aegypti insistens formulae, « unam in Christo esse energiam » (μία ἐνέργεια). Cui jure applaudebant Monophysitae, quandoquidem ipsis solis, non Ecclesiae catholicae favebat.

Eo ipso tempore Alexandriae aderat doctus ille monachus Sophronius Hierosolymitanus (mox ibidem Patriarcha), qui novae huic formulae adversabatur. Quem cum Cyrus negligeret, Sophronius Constantinopolin profectus est, Sergii patrocinium ambiens; ignorabat enim, etiam Sergium novae haeresi favere. Non omnem tamen apud Sergium operam per-

didit, quippe qui, mediam volens tenere viam, proposuit, ut nequidquam *de duabus energiis (et voluntatibus)* dicatur, sicut Sophronius volebat, sed neque terminus μία ἐνέργεια usurpetur.

Sergius jam ad Honorium Papam se convertit, ipsius sententiam, quin imo consensum impetraturus. In qua epistola Sergius dicit, nemini esse concèdendum, ut unam vel duas affirmet energias; terminum enim: μία ἐνέργεια suspectum esse, ac si *duae* in Christo *naturae* negentur, (quod monophysiticum sit); similiter et assertionem duarum energiarum non paucos offendere, utpote ex qua consequeretur, *duas* adstrui debere in Christo *voluntates sibi* contrarias (θελήματα). (Falsum sane consectarium!)

7. Honorius Papa Sergio rescripsit, ejusque epistola (I[ma]) integra asservatur in latino originali et in vetusta graeca versione.

Summa eorum, quae Papa in epistola hac dicit, ad sequentia redit:

a) Bene fecisti vetando usum termini μία ἐνέργεια, utpote in quo Monophysitismum suspicari licet; similiter in termino δύο ἐνέργειαι reperiri posset Nestorianismus, neuter autem terminus biblicus est. De cetero terminus δύο ἐνέργειαι falso adhibetur; Christus enim ἐνέργησε πολυτρόπως i. e. operatus est multiformiter (v. g. nunc manducabat, – bibebat, – dormiebat, – docebat – aegros sanabat etc).

Honorius itaque confundebat ἐνέργειαν, seu *operationis* modum in se, cum singulis ejusdem *manifestationibus*.

Verba ipsius huc spectantia sonant: « Non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere, quae neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis praesumat Christi

Dei praedicare etc ». (*Mansi*, Collect. Concil. T. XI. p. 542).

Et paulo post: « Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum ejusque sanctum Spiritum, sacris literis percepimus, sed multitiformiter cognovimus operatum ». (*Mansi*, l. c.).

Et ad finem: « Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet... hortantes vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum... (*Mansi*, l. c. p. 543).

b) Quemadmodum hac ratione Honorius orthodoxum terminum δύο ἐνέργιαι rejecit, ita simul haereticum terminum ut regulam fidei praescripsit, asserens : » Unde et *unam voluntatem* (ἓν θέλημα) fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa ; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, qnae repugnaret legi mentis ejus. (*Mansi*, l. c. p. 539).

Honorius ergo sic argumentatur : « Christus assumpsit veram humanitatem, plenam naturam humanam, non vero naturam humanam peccato corruptam, sed illam, prout ante lapsum fuit; ideoque in Christo non erat lex membrorum, quae legi mentis adversaretur ». Hactenus recte; abhinc vero sequentem in modum debuisset ratiocinari: « ideo in Christo non erat peccaminosa, carnalis voluntas, sed solum modo BONA *voluntas* HUMANA, *divinae voluntati omnino conformis;* adeoque reipsa *duae* voluntates: divina nimirum *atque* humana, eaque bona ». Ast Honorius confundit has duas voluntates; vel bonam voluntatem humanam , utpote divinae voluntati in omnibus consonam, in hanc prorsus transire sinit, ideoque dicit : « *unde unam* voluntatem fatemur Domini nostri ».

Quibus verbis *formulam principalem*, *terminum technicum Monotheletismi* Ecclesiae ut fidei doctrinam praescripsit.

8. Paulo post Honorius Papa alias dedit ad Sergium litteras, de qua epist. II.ª duo tantum supersunt fragmenta. In hisce Honorius orthodoxum terminum **δύο ἐνέργειαι** iterata vice rejicit, dicens et praecipiens: « profecto unius vel geminae operationis vocabulum noviter introductum ex praedicatione fidei eximatur, » simulque ineptum esse affirmans, Salvatori unam sed duas operationes tribuere. (*Mansi*, l. c. p. 579.) Sic quidem in priori fragmento.

In altero fragmento, ex epilogo epistolae, legitur: « Ceterum, quantum ad *dogma ecclesiasticum* pertinet... non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire... debemus». (*Mansi*, l. c.)

Ex quibus liquet, Honorium dogmaticam definitionem dare, dogma Ecclesiae enuntiare voluisse, simul autem terminum orthodoxe dogmaticum rejecisse.

De termino: « una vel duae *voluntates* » in fragmentis istis nil continetur, de quo utrum deperdita pars alterius epistolae egerit, ignotum est.

Ex praedictis jam sponte fluit: Honorium Papam specifice orthodoxum terminum technicum « **δύο ἐνέργειαι** rejecisse, terminum vero specifice haereticum « **ἓν θέλημα** » ut verum declarasse, duplicemque hunc errorem praescripsisse credendum (proxime quidem ecclesiae Constantinopolitanae).

Sub finem Sectionis II. recurremus ad terminum loquendi « ex cathedra ».

Ad II.

Utraque haec Honorii epistola in Cocilio oecum. VI. Constantinopol. anno 680. lecta est; prior in generali sessione XII., altera in sessione XIII., prae-

sentibus et praesidentibus tribus legatis Papae Agathonis, duobus Cardinalibus presbyteris Theodoro et Georgio, et Cardinali diacono Joanne.

a.) Statim ab initio sessionis XIII. Concilium declaravit: « Retractantes dogmaticas epistolas, quae tanquam a Sergio . . . quam ad Honorium quondam Papam antiquae Romae; similiter autem et epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus . . sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnimodo abjicimus et tamquam animae noxias execramus. Quorum autem, id est eorumdem impia execramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei ecclesia projici judicavimus, id est, Sergii, Cyri, etc., quos omnes etiam Agatho Papa in suggestione ad Imperatorem abjecit. (Agatho Papa legatis, quos ad VI Concilium oecum. deputaverat, epistolam dedit ad imperatorem Constantinum Pogoniten, in qua dictos Monophysitismi auctores rejecit. De antecessore suo vero Honorio nihil in ea commemoravit.) Ast Concilium VI oecum. eum quoque censura plectere volens in decreto suo sequenti modo pergebat: » Cum his vero simul projici a sancta Dèi catholica ecclesia, simulque anathematizari praevidimus (συνείδομεν) et Honorium, qui fuerat Papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta, quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata *confirmavit*. (*Mansi*, l. c. p. 554. sq.)

Concilium recte quidem non de eo quaestionem movet, quid Honorius ea de re *corde* tenuerit, sed sententiam dicit de *facto*, videlicet quod in epistola sua haeresin approbaverit.

b.) Sub finem ejusdem sessionis XIII. praelecta etiam altera Honorii epistola, decretumque a Synodo fuit, ut cum aliis documentis tanquam animabus

nociva combureretur; quod et factum est. (*Mansi,* l. c. p. 582.)

c.) In fine sessionis XVI. Synodus proclamavit: « Sergio haeretico anathema, Cyro haeretico anathema, Honorio haeretico anathema, Pyrrho haeretico anathema » (*Mansi,* l. c. p. 622.)

d.) Majoris adhuc ponderis ea sunt, quae in sessione XVIII, eaque ultima fiebant (16 septembris 681.). In fidei decreto, quod tunc promulgatum fuit, et principale Synodi documentum constituit, legimus: « Sed quoniam adinventor malitiae cooperationem (cooperantem) sibi serpentem inveniens, et per eum venenosam humanae naturae deferens mortem, et ita organa ad propriam sui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus, qui fuerat episcopus Pharan., Sergium . . . *insuper et Honorium*, qui fuit Papa antiquae Romae, Cyrum, qui Alexandriae, etc. . . non vacavit per eos plenitudini ecclesiae erroris scandala suscitare, disseminando haeresin. (*Mansi,* l. c. p. 635.)

e.) Postquam omnes Concilii Patres, praeeuntibus tribus legatis pontificiis huic fidei decreto subscripserant, acclamavit Synodus: « Omnes ita credimus . . . . multos annos Imperatori . . . Theodoro Pharanitae anathema, Sergio et Honorio anathema; Pyrrho et Paulo anathema . . . . Omnibus haereticis anathema » (*Mansi,* l. c. p. 655.)

f.) Porro in memoriali ab omnibus in Synodo praesentibus, praeeuntibus iterum pontificiis legatis, ad imperatorem dato, Synodus anathema hoc de Honorio repetit: « Anathemati subjicimus Theodorum, Sergium, . . . et cum eis Honorium, qui fuit Romae praesul, utpote qui eos in his (in haeresi) secutus est. » (*Mansi,* l. c. p. 666.)

Ex his omnibus sequitur, Synodum oecumenicam VI.

1.°) jus sibi vindicasse *sententiam ferendi* de papa ex cathedra loquente; et

2.°) condemnasse ipsius ex cathedra datum fidei decretum, eumque anathemate perstrinxisse eo, quod haereticam doctrinam *confirmasset*.

De facto itaque dogmaticae decisionis a Summo Pontifice editae judicatum fuit.

AD III.

Jam vero neminem illius temporis invenies, qui crediderit, Concilium hoc procedendi contra Honorium modo aut non juste aut non competenti auctoritate egisse, etenim:

a) omnes episcopi, in Synodo præsentes hanc sententiam subscribendo approbarunt;

b) ipsi quoque Pontificis legati præsentes et præsidentes judicio lato assenserunt, nihil plane obmoventes, nec contra Concilii competentiam nec contra materialem synodalis sententiæ rectitudinem.

c) Confirmata est hæc sententia synodalis non solum ab imperatore, verum etiam *a summo Pontifice*, qui propriis verbis illam *repetiit*. Sic enim Papa Leo II (Agatho interea 10. Januarii 682. mortuus erat) rescribens imperatori ait: « Pariter anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium etc., nec non et Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina lustravit, *sed profana proditione immaculatam fidem sub-*

vertere conatus est. (secundum textum graecum : subverti permisit, παρεχώρησε), et omnes, qui in suo errore defuncti sunt. (*Mansi*, l. c. p. 731).

d) Idem Papa Leo II in epistola ad episcopos Hispaniæ dicit: « Aeterna condemnatione mulctati sunt Theodorus, Cyrus, Sergius etc., *cum Honorio*, qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, *sed negligendo confovit. (Mansi,* l. c. p. 1052).

e) Similiter scribit Regi Hispaniarum Ervigo : « Condemnati sunt... et una cum eis Honorius romanus, qui immaculatam apostolicae traditionis regulam... *maculari consensit. (Mansi,* l. c. p. 1057).

Leo II Papa rem proinde acu tetigit scribens : « negligendo confovit, » et « maculari consensit ». Animadvertebat quidem ex I[ma] epistola Honorii, ipsi rectam utique de persona Christi doctrinam ob oculos esse versatam, Chalcedonensem scilicet doctrinam; eum tamen *false inde conclusisse*, eum itaque in corde hæretice non sensisse, attamen reapse terminum specifice orthodoxum (δύο ἐνέργειαι) damnasse et terminum specifice hæreticum (ἓν θέλημα) sancivisse. Honorius hoc non fecit mala ductus voluntate sed ex *negligentia*, et sic *maculari doctrinam fidei permisit et consensit.*

Ideo Leo II Papa hanc prolatam per oecumenicam Synodum Honorii condemnationem , tanquam justis motivis innixam agnovit; Concilii *competentiam* in dubium vocare nec in mentem ei venit.

f) Anathema de Honorio prolatum, continuo a Synodis oecumenicis VII et VIII reiteratum est , quarum utraque præsidentibus pontificiis legatis habebatur; Hadrianus II vero Papa (867-872) condemnationem istam ceu justam eo agnovit, quod Honorius « fuerat super hæresi accusatus, propter quam

solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi ». Siquidem omnibus notum est, medio quoque ævo, potestate papali summopere florente, universalem fuisse doctrinam Ecclesiæ, papam propter hæresin, sed etiam propter solam hæresin deponi posse, quæ doctrina etiam in Corpus juris canonici transiit. (*)

g) In libro diurno i. e. formulario Curiæ romanæ (a V. usque ad XI. saec.) reperitur vetus formula pro juramento pontificio, sine dubio a Gregorio II præscripta (init. sæc. VIII.), cujus tenore quivis Pontifex, munus suscepturus, jurejurando profiteri tenebatur, se agnoscere VI. Concilium œcumenicum, quod auctores novae haereseos (Monotheletismi) Sergium, Pyrrhum etc. cum Honorio anathemate defixit sempiterno, « quia pravis hæreticorum assertionibus fomentum impendit ». (Liber diurnus, ed Eugène de Rozière, *Paris* 1869 N. 84).

Ex quo sequitur, usque ad sæculum XI quemlibet Pontificem , munus auspicantem , jurejurando firmasse:

A) Concilium œcumenicum judicare posse papam saltem propter hæresin;

B) Honorium a VI[to] Concilio oecumenico jure fuisse anathematizatum, quia suo fidei edicto hæresin approbaverit.

(*) Dicunt quidem , agi hic solummodo de hæresi papae , qua hominis privati; verum si fieri potest, ut generatim papa in haeresin incidat, cur non etiam illud possit accidere, ut haeresin, quam corde amplectitur, ex cathedra quoque pronuntiet , quippe quam certo pro doctrina catholica teneat ? neque enim praesumenda est in eo mala voluntas !

Sectio secunda.

Vim ac momentum factorum et argumentorum, quæ in prima Sectione retulimus, pro posse diminuere vario modo tentarunt diversi auctores.

I. Jam scriptor epistolæ Honorii ad Sergium, Abbas romanus Joannes, in suis ad Græcorum Imperatorem Constantinum Heraclium litteris asseruit: in illa epistola Honorii nil omnino de *divina* in Christo voluntate esse dictum, sed potius *peccaminosam* voluntatem in Christo negari, atque *bonam* duntaxat humanam voluntatem Christo vindicari, *quae esset* illud ἓν θέλημα, de quo Honorius loquatur; de *divina* autem voluntate nil dixisse Honorium, cum nonnisi ad ea respondisset, de quibus a Sergio esset interrogatus (*Mansi* T. X p. 739).

Eodem modo postea Joannes Papa IV, secundo loco Honorii successor, praedecessorem suum purgare conatus est. (*Mansi*, l. c. p. 682 sq.)

Sed assertio haec, ut candide loquar, nequaquam vera est, nam:

a) Sergius ipse disertis verbis declarat: « terminum δύο ἐνέργειαι scandalo esse, cum inde consequeretur, duas sibi oppositas voluntates in Christo statuendas esse; *divinam* scilicet voluntatem, quae pati voluit, et *humanam*, quae passioni obsistere voluit. (*Mansi*, T. XI, p. 534) Clare ergo perspicitur, Honorium de humana *et* divina voluntate locutum esse, et manifeste vana est et falsa assertio Joannis Abbatis, qua contendit: Honorium de voluntate *divina* in Christo prorsus tacuisse, cum neque Sergius illius meminisset.

b) Verum quidem est, Honorium *peccaminosam* humanam voluntatem in Christo negare, et in

hoc a veritate non deviat; jam vero pro eo, ut dicat: « permanet ergo in humana Christi natura nonnisi *bona humana* voluntas, quae voluntati *divinæ* naturæ per omnia sese conformat, » Honorius per saltum prosequitur: « ergo *una* duntaxat voluntas est in Christo, » quam *divinam* asserit.

Id enim luce clarius ex sequentibus patet:

Honorius opinatur, Christum dicendo: « non mea voluntas, sed tua fiat » non in proprio sensu et obvio esse locutum, sed habita ratione ad nos, ne nostram voluntatem, sed Dei voluntatem exsequamur.

Quem in modum neutiquam loqui potuisset Honorius, si praeter divinam etiam bonam humanam voluntatem in Christo statuisset.

c) Abbas Joannes in apologia sua Honorii *unius* tantum ejusdem erroris rationem habuit (assertionis nempe – ἓν θέλημα); alterum vero ejus errorem reticuit, quo scilicet specificum orthodoxæ fidei terminum δύο ἐνέργειαι *rejecit.* A qua macula Honorium purgare Joannes haud præsumpsit.

d) Ceterum superius memorata Honorii defensio per Abbatem Joannem jam quo tempore facta est, vel in ipsa urbe Roma non probabatur; unum tantum novimus virum mentione dignum, qui eam approbasset, S. Maximum Abbatem. Alioquin Apostolicæ Sedis Legati in Concilio œcumenico VI° cum de anathemate contra Honorium ferendo ageretur, ut cladem istam oppido gravem a romana Sede averterent, ad ejusmodi defensionem provocare haud intermisissent. Sed neque Leo II, neque ejus Successores excusationi a Joanne susceptae ullum momentum tribuisse videntur.

II. Idem ille Abbas Joannes ulterius contendit, epistolam (primam) Honorii ad Sergium corruptione

fuisse vitiatam; et Concilinm VI œcumenicum falsis innixum documentis sententiam protulisse.

Verum in Concilio VI œcumenico nequaquam sola tantum græca versio epistolæ Honorii recitata est, sed prælecta prius græca versione, ipsum authenticum exemplar latinum ejusdem epistolae ad Sergium ex patriarchali archivio apportatum et versio cum textu originali per unum omnino ex Deputatis romanis sollicite collata fuit.

[Praeter tres Legatos proprie sic dictos (Cardinales) Papa cum Synodo ab eo praevie celebrata alios insuper tres Deputatos ad Concilium œcumenicum ablegaverat].

« Similiter prolata est... *epistola authentica latina* Honorii quondam papae romani ad Sergium.... una cum ejus interpretatione et collata est eadem latina epistola per Joannem reverendissimum episcopum civitatis Portuensis, qui unus exstitit de concilio antiquæ Romæ » (*Mansi* T. XI, p. 547).

Numne probabile est, Legatos et Deputatos Apostolicæ Sedis genuinam Honorii epistolam ignorasse vel adeo in producendo corrupto exemplaria djutrices manus habuisse? – Numquid Leo Papa II ejusque successores nullo modo animadverterunt, in acta sexti Concilii œcumenici, quæ etiam Romæ asservabantur, corruptam epistolam Honorii dolose fuisse invectam?

Objicitur autem, illum Abbatem Joannem allegare specialiter locum, quem a Graecis vitiatum fuisse asserat. Verum est; namque dicit, graecam versionem habuisse verba: « in Christo *absolute* una voluntas fuit; » sed vocabulum « *absolute* » suppositititium esse. Ast in illo, ut ita dicam, officioso graeco exemplari, quod ad nos pervenit, locus iste non est interpolatus. Fortasse in aliis descriptis (privatis) exemplaribus hujus epistolae ejusmodi corruptiones locum habuerunt. Concilio autem, prout vidimus, praesto erat *textus epistolae originalis* atque versio ejusdem ab ipsis deputatis pontificiis recognita.

III. Saeculo XVI novam Cardinalis Baronius ingressus est viam, ut Honorii Papae memoriam ab illa labe purgaret. Opinio ejus haec est: Paullo ante coactum Concilium VI Theodorus patriarcha Constantinopolitanus utpote Monotheletismo favens sede dejectus, Georgius vero in locum ejus promotus fuerat. Ast mortuo Georgio non diu post finem Concilii oecum. VI. contigit Theodoro, ut in pristinam dignitatem restitueretur. Procul dubio (!) — subdit Baronius Concilium oecum. VI etiam de Theodoro istud anathema pronuntiaverat, sed recuperata sede patriarchali erasit nomen suum ex actis atque in ejus locum dolose inseruit nomen Honorii, scribens **ΟΝΩΡΙΟΝ** loco **ΘΕΟΔΩΡΟΝ**, inferens simul in acta Concilii omnes eos locos, qui de Honorio agunt, nominatim duas illas epistolas Honorii et (fictas) collocutiones Concilii de iis habitas (v. g. collationem textus graeci cum latino).

Consequenter Baronius etiam multa alia tanquam spuria declarare coactus fuit, plures sexternas, magnamque actorum synodalium partem.

Verum hanc nimis audacem hypothesin, utpote solida basi prorsus destitutam, jam dudum ipsi quoque romani theologi reprobarunt; sic Mamachi (Originum et antiq. Tom. VI. p. 5,) Ballerini (de vi ac ratione Primatus p. 306), nuper professor Palma, praelatus Pontificis domesticus, qui ad latus Pii IX morans a perduellibus in arte Quirinali necatus est. (Praelectiones hist. eccles. Tom. II. Pars I. p. 149. Romae 1839).

Ut unum adhuc commemorem: Legati romani cum suo exemplari actorum Concilii VI Constantinopoli domum reversi sunt, antequam Theodorus ille in dignitatem patriarchalem fuerit restitutus. (Praedecessor ipsius Georgius testante Theophane, historiographo byzantino superstes erat per tres adhuc annos a peracta Synodo VI oecum., ergo

saltem usque ad annum 683.) Quo igitur modo Theodorus etiam illud actorum exemplar adulterari potuit, quod *Romae* asservabatur? Potuit forsitan acta vitiare in archivio Constantinopolitano, minime vero ea exemplaria, quae jam Romam, Antiochiam, Alexandriam etc. asportata fuere.

(Quinque etenim exemplaria actorum Concilii exarata fuerunt, pro 5 sedibus patriarchalibus destinata.)

Sed neque ut Baronius vult persuadere adeo facilis fuisset loci *rasura,* quando quidem non de uno illo verbo ΟΝΩΡΙΟΝ agitur, sed de *integris lineis,* quae erant illic appositae.

Accedit etiam illud, quod notarius et diaconus Agatho, qui in VI oecum. Concilio Secretarii munere fungebatur, expresse commemorat: « Sergium *et Honorium* anathematizatos fuisse. (*Combefis* , novum auctuar. Tom. II. p. 204; *Mansi* Tom. XII p. 190.)

Quae cum ita sint, nemo sane mirabitur, alios viros doctos, quibus Honorii purgatio et revindicatio cordi erat, diversam a Baronii methodo viam ingrediendam esse credidisse. Unus tantum Damberger S. J. in sua historia synchronistica, arbitrariis opinionibus abundante (Tom. II. p. 119 sq.) Baronii hypothesin aliquatenus immutatam resuscitavit; quam cum haud meliorasset, imo deteriorem reddidisset, nuspiam applausum eidem conciliavit.

IV. Baronii hypothesi parum contentus Bellarminus aliam proposuit (lib. IV de rom. Pontif. c. 2.) pari modo Turrecremata (de eccl. c. 93) et Josephus Simon Assemani (Biblioth: juris orient. Tom. IV p. 113) contendentes: « Concilium VI oecum. condemnasse quidem Honorium ut haereticum; sed *errore facti* laborasse, talemque errorem possibilem et excusabilem, quinimo inevitabilem fuisse, cum

exemplaria epistolarum Honorii *vitiata* Concilio fuerint proposita.

Commenti sunt igitur auctores isti novam ad instar Jansenistarum distinctionem inter quaestionem *juris* et *facti*, assumentes simul assertionem Joannis Abbatis Romani, qui epistolam Honorii conscripserat.

Verum certissime constat, ut supra probavimus, Concilio latinum originale exemplar epistolarum Honorii praesto fuisse, et Deputatos romanos caute investigasse, utrum versio graeca cum latino originali apprime concordet. Unde negari prorsus nequit, Concilium *genuinis* actis innixum suam de Honorio sententiam tulisse. Quod in hisce actis manifeste continebatur, videlicet Honorium:

a) interdixisse terminum specifice orthodoxum δῦο ἐνέργειαι, atque

b) præscripsisse terminum specifice hæreticum ἓν θέλημα, — absque dubio hæretica labe infectum erat, haeretice sonabat; atque hæ ipsæ *assertiones*, non vero *interna* Honorii opinio suppeditavit Concilio basin ad causam judicandam.

V. Iterum aliam methodum ad solvendam de Honorio quaestionem nuperrime secutus est *de Margerie*, philosophiae Nanceji (Nancy) professor in opusculo « Le Pape Honorius (contra P. Gratry), Paris 1870 ». Argumentatio ejus hæc est:

1.° Agatho Papa in duabus epistolis infallibilitatem Romani Pontificis pronuntiavit;

2.° Concilium oecumenicum VI has Agathonis epistolas et cum iis Papae infallibilitatem solemniter agnovit.

3.° Propterea minime fieri potuit, ut idem Concilium Honorium papam tanquam haereticum proprio sensu condemnaverit.

Consideremus jam singillatim hasce assertiones et conclusiones.

I. In epistola prima ad *Imperatorem* directa, quam Agatho Papa Legatis suis ad Concilium oecumenicum VI Constantinopolin proficiscentibus tradidit, sequentia dicit: « cujus (Petri) annitente praesidio haec apostolica ejus ecclesia (romana) nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est... Haec est enim verae fidei regula (dyotheletismus nimirum) quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit haec spiritalis mater (romana nempe ecclesia) quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit etc. » (*Mansi*, T. XI, pag. 239–242).

Asserit itaque Agatho Papa : « romanam ecclesiam nunquam fuisse lapsam in errorem ; factum historicum adstruit, hancque romanae ecclesiae probatam fidei catholicae constantiam a praesidio beati Petri derivat. De absoluta vero infallibilitate non loquitur, nec quaestionem vel uno verbo movet, utrum casus Honorii cum generali sua thesi (de orthodoxia romanae ecclesiae adhuc constanter servata) congrue componi possit nec ne.

Liceat nobis observare :

a) infallibilitatem *romanae ecclesiae* posse adstrui, quin eo ipso adstruatur *personalis* infallibilitas papae ; et

b) duas istas assertiones : « Honorium heterodoxam formulam praescripsisse, et — *ecclesiam romanam* nunquam fuisse monotheletico errore infectam » bene posse simul consistere et conciliari.

Imo subjungere juvat, Agathonem ipsum Honorii doctrinam impugnare ; etenim

a) directe et aperte *duas* docet in Christo distinguendas esse *voluntates* ; et

b) verba s. Scripturae ab Honorio allegata: « non

mea sed tua voluntas fiat » — rectissime in favorem dyotheletismi interpretatur (*Mansi*, tom. XI. p. 246), dum econtra Honorius vim ad probandum dyotheletismum iis inhaerentem refringere satagebat.

Aeque res se habet quoad alteram epistolam pariter ad imperatorem datam, quam Legati Pontificis subscriptione Agathonis papae et 125 episcoporum munitam secum ferebant. Ipsa quoque sententiam continet, ecclesiam romanam *nunquam* in haeresin incurrisse (*Mansi*, l. c. p. 287), et quod de hac sententia paullo ante dictum est, hic quoque valet.

Miror sane, nec potest intelligi, quo jure et modo D. Margerie secundam hanc epistolam pro *instructione* Legatis pontificiis data habere possit; vix ulli, qui totam perlegerit, tale quid in mentem veniet.

Attentis hisce omnibus, nequaquam verum apparet id, de quo Margerie nobis vult persuadere, nimirum Agathonem papam personalem romani Pontificis infallibilitatem asseruisse.

II. Non minus quam prima, etiam secunda assertio Domini de Margerie cum veritate concordat dicentis: « Concilium oecum. VI hancce Agathonis de infallibilitate Papae sententiam confirmasse; » in qua re pertractanda accuratiorem Concilii actorum notitiam ipsi deesse manifesto apparet; nam

a) « utramque pontificis epistolam asserit primo praelectam fuisse in IV sessione Concilii oecum. VI die 17 Novembris 680 — » (p. 51); atqui ea sessio jam die 15 Novembris habita est.

b) « tribus hebdomadibus post in sessione VI, (trois semaines après, à la sixième session) episcopos uno excepto omnes suffragia viritim dantes synodali epistolae Agathonis consensisse, « Margerie (p. 21) affirmat. Ast sessio VI non expletis a IV

sessione tribus *hebdomadibus*, sed demum die 12 Februarii 681 – ergo interlapsis ad minimum 3 *mensibus* — locum habuit; denique illud quod refert Margerie, in ista sessione VI *nequaquam accidit*, sed in sessione VIII, die 7 Martii 681.

Quid autem in sessione VIII actum est? Num epistola Agathonis quoad integrum suum tenorem a Concilio revera approbata fuit? Minime. Etenim:

a) in Concilio oecum. VI primo *examinatum* est, num doctrina Agathonis (dyotheletismus) auctoritate priorum patrum fulciatur.

Georgius enim Archiepiscopus Constantinopolitanus et primus votantium testatus est: « Scrutans libros sanctorum... patrum, qui repositi sunt in venerabili meo patriarchio, inveni cuncta testimonia sanctorum patrum..... quos Agatho pro dyoteletismo citaverat..... consonantia etc., consentio eis et sic profiteor. »

Patres igitur Concilii sententiam Agathonis prius *examinaverunt*, minime vero extemplo infallibilem reputarunt.

b) Concilii Patres dein non integrum ejusdem epistolae tenorem, nec in specie ejusdem de romana ecclesia elogia approbarunt, sed *nonnisi* doctrinam *dyotheleticam* in eadem epistola prolatam.

c) Quid vero Synodus de historica assertione Agathonis « ecclesiam romanam nunquam in errorem incidisse » judicaverit, forsitan ex eo concludere licet, quod eodem halitu, quo Agathonem laudibus extollit, Honorium anathemate percellit.

d.) Si tandem Dominus Margerie de eloquio in sessione XVIII prolato ita judicat: « Il est, je pense, impossible d'imaginer une approbation plus solennelle et plus explicite à un énoncé plus distinct de

la doctrine infallibiliste » — non nos, sed acta respondent.

Concilium in isto eloquio *infallibilitatem pontificiam* ne verbo quidem tetigit, sed *nonnisi dyotheletismum* ab Agathone expositum prae oculis habens, dixit: « per Agathonem Petrus loquebatur ». (*Mansi*, l, c. p. 666.), et paucis versibus ante dixerat: « Anathemati subjicimus Theodorum, Sergium etc. et cum eis Honorium .... utpote qui eos in his secutus est ».— De confirmatione aliquae praetensae infallibilitatis pontificiae nuspiam ne vestigium quidem invenitur.

Demonstrata jam fundamenti totius argumentationis D. de Margerie futilitate, dissertationi finem imponere liceret; sed ad penitius cognoscendum characterem geniumque opusculi ejus, operae pretium erit, adhuc singularia quaedam perstringere.

Gravissimum, quod contra Honorium pugnat, in illa sententia ejus continebatur, qua in Christo unam tantum voluntatem (ἓν θέλημα) asserit, sicque positive haeresin elocutus est. Jam vero Dominus de Margerie locum istum spurium esse ac interpolatum persuasurus, id diserte quidem affirmare non audet, nil tamen de sua parte omittit, ut *suspicionem* contra authentiam praedicti loci excitet, atque ita agit, quasi novo momento ipse potitus esset, quo suspicio illa confirmaretur, in testimonio scilicet Abbatis Maximi, auctoris saeculi VII, (p. 29. sq. et pg. 45) qui allegat assertionem Joannis Abbatis romani:

a.) textum epistolae Honorii a Graecis fuisse corruptum, et

b.) Honorium nonnisi de *una* in Christo voluntate humana (eaque bona) fuisse locutum.

Abbas Joannes ejusque pedissequus Maximus nullo modo, ut vidimus, negant, Honorium reapse termino ἓν θέλημα usum fuisse, imo *confirmant*, terminum hunc exstare in ejus epistola, *confirmant* in-

quam; lapsum istum Honorii eo excusantes, quod de *una* tantum (bona) voluntate *humana* in Christo locutus fuerit, de *divina* autem tacuerit.

Ast vanum esse hoc effugium, superius jam observavimus.

III. Postquam D. Margerie affirmaverat, Concilium VI oecumenicum Papae infallibilitatem decrevisse, necesse omnino habuit, omnes etiam sententias et verba Concilii, quae anathema Honorio « *haeretico* » etc. inferunt, alium in sensum interpretari et mitius explicare. Et quoniam qui quaerit, invenit, etiam D. Margerie invenit, vocabulum « haereticus », ubi de Honorio usurpetur, nequaquam haereticum sensu proprio significare – et quae sunt similia (p. 47). Nos quidem praecipuos illos locos, quibus et VI oecum. Concilium et plures Romani Pontifices nec non aliae Synodi oecumenicae posteriores suam de Honorio sententiam protulerunt supra (in Sectione I) allegavimus, ad quos jam denuo respicere placeat.

Multum porro D. Margerie desudat in demonstrando, Honorium papam nequaquam *ex cathedra* fuisse locutum (p. 42). Mirum profecto! Si enim, ut contenditur, Honorii epistolae saepius memoratae nihil continent, quod perperam, aut false sit dictum, sane superfluum est, quaestionem hanc movere: num ex cathedra locutus sit, nec ne? Quis enim non intelligat, quam difficile sit decernere, *quando* demum Papa ex cathedra locutus esse censendus sit. D. Margerie duo nobis proponit criteria, quibus hoc possit dignosci:

a) si papa ait sententiam aliquam tanquam articulum fidei positive pronuntiat; id autem a Honorio non esse factum. Atqui, nonne *positive* hoc dictum est: « unam voluntatem fatemur domini Jesu Christi » (*Mansi*, T. XI pag. 539). Et ulterius :

« Nos non unam operationem vel duas dominum J. Christum . . . . sacris literis percepimus, sed *multiformiter* cognovimus operatum » (l. c. p. 542).

Nonne Honorius hocce *proponit* credendum? quippe ad finem epistolae monens: « Haec nobiscum Fraternitas vestra praedicet, *hortantes* vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes etc. (*Mansi*, T. XI, p. 543).

Clarius adhuc in secunda epistola: « Quantum ad *dogma* ecclesiasticum pertinet, quae *tenere* vel praedicare *debemus*... non unam vel duas operationes in mediatore... definire... debemus.

Profecto itaque Honorius positive thesin suam elocutus est, et credendam proposuit.

b.) Obmovetur autem, Honorium eam non *universo orbi* praescripsisse, id quod ex mente D. Margerie alterum constituit locutionis « ex cathedra » criterium (p. 43.)

Nescio quidem, utrum absolute sit necessarium, ut sententia, quae tanquam ex cathedra lata habenda sit, ad *universam* Ecclesiam directa esse debeat. (In quo casu neque illa celeberrima epistola dogmatica Leonis I ad Flavium dici posset lata ex cathedra.) Dubium autem non est: Honorium recte id intendisse et voluisse, ut *universalis* Ecclesia crederet, quod ipse docendo proposuerat (neutiquam sola ecclesia Constantinopolitana).

Denique D. Margerie concedit, Concilium oecum. VI. Honorium papam judicasse, eumque verbis severis condemnasse, sane, ut D. Margerie opinatur, propter solam *negligentiam*, « *mauvaise administration* » (p. 47.) At quomodo id componi poterit cum *antiquo* illo axiomate, quo D. Margerie pariter (strenueque) dimicat: « prima sedes a nemine judicatur »? (cfr. pg. 24 et pg. 60).

Quod axioma, si revera juris regulam pronuntiat,

in ipsa jam antiqua ecclesia communiter acceptam, quomodo Concilio VI licuit Honorium papam judicare?

Praeterea tum Corpus juris canonici, tum omnes aevi medii auctores profitentur: « Papam propter *solam haeresim* judicari et damnari posse » — Jam Hadrianus II (saec. IX) dixit: « Licet enim *Honorio* ab orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, *quia fuerat super haeresi accusatus*, propter quam solam licitum est minoribus, majorum suorum motibus resistendi » Quid, quaeso, Hadrianus papa dixisset ad assertionem D. Margerie Honorium a Concilio propter solam, « *mauvaise administration* » fuisse judicatum?

NOTA

Nuperrime Romae typis Civilitatis catholicae libellus prodiit « Monumenta quaedam *causam* Honorii spectantia » continens.

Notulas ei adjectas parvi esse momenti et ad Honorium plane purgandum revera invalidas, omnibus palam fiet, qui ipsas cum argumentis a nobis superius prolatis conferre voluerint. Unum solum addam: Cur auctor libelli illius plane reticuit illa verba Concilii oecumenici VI « diabolum per Honorium haeresim disseminasse »? Mansi l. c. p. 635.